


02 H 1241





I
H
M
C
I
•



DISPUTATIO
HISTORICA ET PHILOLOGICA
De
LXX INTERPRETIBVS

Quam
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO IVVENTVTIS PRINCIPE
FRIDERICO WILHELMO,
MARCHIONE BRANDENBURGICO ET ELECTO-
RATVS HEREDE, AC RELIQA,

IN ACADEMIA FRIDERICIANA

PRAESIDE V. C.

CHRISTOPHORO CELLARIO,
Eloq. & Histor. Prof. Publ.

Pro MAGISTRI Artium & Philosophiæ pri-
vilegiis & honoribus consequendis
publico examini II Decemb. exponit

IOHANNES HENRICVS SÜLZNERVS,
Isennacensis.

A. R.



HALAE MAGDEBURGICAE,
Literis Christiani Henckelii, Acad. Typogr.





ה



Vtique in summis Dei beneficiis post infinita alia numerandum est, quod sanctissimam voluntatem suam non voce sola sed literis etiam, ne obliuio noceat, manifestatam voluit. Culpa hominum accidit, vt iustissimus iudex singulari hoc beneficio tantum vnã Ebræorum gentem adficeret, donec tempora, quæ iustæ pœnæ loco per ignorantiam transmittenda erant, imple-
rentur, vt cœleste mysterium de seruando humano genere per omnes gentes promulgaretur. Vt vero solem orientem diluculum antecedit, seu tenuis lux & dubia, prænuntia maioris & fulgentissimæ: sic Euangelii claritatem per orbem terrarum dispergendæ prolusit quasi cœlestis providentia, qua factum fuit, vt inter densissimas tenebras divina quædam lux paganis hominibus seu pluribus gentibus oriretur, sanctis Dei scripturis ex Ebræo sermone, qui paucorum erat, in Græcam linguam, omnibus prope gentibus communem, vtilissime conuersis. Cui maximo operi, quod plures administri adhibiti fuisse feruntur; ab illorum numero, quem fama credidit, *LXX-viralis* illa versio appellatur, de qua nostra in præsentis erit dissertatio.

II. Principum est bene mereri de posteritate, quod alii bellis & proferendis finibus, alii stupendis ædificationibus, alii aliter obtinere satagunt: sed, quod sapientes censent, nulla via est expeditior ad posteritatis memoriam
atque

*hig versio
ma utilita
rib. h. p. b.*

atque salutem, quam qua auctis literarum studiis & facili-
liora illa & clariora per manus quasi tradunt posteritati.
Cum vero mortales omnes sint, qui in literis proficiunt;
immortali opere, quantum præstare homines possunt, con-
sulendum est futuro tempori ac seræ posteritati. Hæ sunt
|| bibliothecæ, egregii illi thesauri, cum quibus nec Persicæ
gazæ, nec orbis diuitiæ comparandæ sunt. Quantum enim
animus præstantior est corpore; tantum thesauros, qui
animum nutriunt, quam qui corpori profunt, censemus
præstantiores esse.

|| III. Aegyptia gens in antiquissimis fuit, quæ sapien-
tiam coluisse refertur, ideoque etiam haud dubie prima,
|| quæ bibliothecis instruendis, ne mortalitate hominum,
eruditio pereat, operam dedisse legitur. Diodorus Sicu-
tus lib. II c. XLIX de Osymandua tradit, antiquissimo Aegy-
ptiorum rege, præter monimenta alia bibliothecam condi-
disse, supra cuius limen præscribi iusserit ΨΥΧΗΣ ΙΑΤΡΕΙΟΝ,
MEDICINA ANIMI, siue, vt Iustus Lipsius vertit, ANI-
MI MEDICA OFFICINA. O verissimum verbum! quid
præstantius, quid utilius conferre Principes ad animum a-
lendum & exornandum possunt, quam omnium tempo-
rum sapientiam literarum monimentis commendatam,
h. e. bibliothecam, ad usum etiam posterorum, non sui
tantum temporis, publice dedicatam.

|| IV. Hoc illustre exemplum imitati mihi Ptolemæi vi-
dentur, cum Alexandriæ, quæ Aegypti metropolis est, bi-
bliothecam condi & in immensum augeri suo sumtu stu-
dioque procurarent. Quod si cui longius repetitum,
id exempli videatur, propinquum Aristotelis habemus,
quem Strabo lib. XIII p. 419 auctorem Ptolemæis fuisse
trahit adstruendæ illius, quæ ubique celebratur, Alexan-
drinæ bibliothecæ. Non indigna verba, quæ plenius ad-
scribamus, quod etiam Græcarum origini testimonium
ferunt: Ο Αριστοτέλης πρῶτος, ὃν ἂν ἴσμεν, συναγαγὼν βιβλία
καὶ

καὶ διδάξας τὰς ἐν Αἰγύπτῳ βασιλέας βιβλιοθήκης σύνταξιν,
Aristoteles primus omnium, qui nobis sunt noti, bibliothecam com-
posuit, idque Aegypti reges facere docuit.

V. Nouæ vrbi a se conditæ Alexander M. morte sua
nouos Reges, ex Macedonum gente ortos, reliquit, in im-
perii diuisione a Ptolemæo Lagi filio, strenuo duce Alexan-
dri, Aegypti regnum post multas concertationes consecu-
to. Hic, an filius successor, auctor Alexandrinæ bibliothecæ
fuerit, non est omnium certissima consensio. A. Gellius ex-
tremo lib. VI *Ptolemæis*, vt pluribus, tantæ bibliothecæ colle-
ctionem tribuit. *Ingens, inquit, numerus librorum a Ptole-*
mæis regibus vel conquisitus, vel confectus est, ad millia ferme vo-
luminum septingenta. Proinde clari scriptores sunt, qui
tam primo Ptolemæo, quam successori Philadelpho, hoc
opus intribuunt: quidam etiam soli primo. Irenæus enim
lib. III. c. XXV *Ptolemaum Lagi filium* bibliothecæ nominat con-
ditorem: & Clemens Alexandrinus lib. I. Strom. p. 341. ver-
fas ait fuisse scripturas ex Ebræo sermone in Græcam lin-
guam ἐπὶ βασιλέως Πτολεμαίου τῷ Λάγῳ, εἰ ὅστινες, ἐπὶ τῷ Φιλα-
δέλφῳ ἐπικληθέντος, *sub Ptolemæo Lagi: aut, ut dicunt nonnul-*
li, sub altero Ptolemæo, qui Philadelphus nominatus fuit. Con-
ciliari nobis videtur inter vtramque sententiam. Ingens
opus & immensus labor tantum librorum numerum com-
portare ex omnium gentium librariis thesauris conquisi-
tum, vt adeo vix vnus hominis sit, aut vnus ætatis tantam
rem conficere. Quid si ergo dicimus a Lagi filio cœptum
fuisse; a nepote consummatum opus, si consummari po-
test, cui semper aliquid reliquum est, quod posterorum
industria augeatur. Non enim dubitamus, subsequen-
tes etiam reges huic ampissimæ bibliothecæ suos quemque
cumulos addidisse. Quod dum dicimus, ita quidem socios
vel instituendæ vel cumulandæ admittimus bibliothecæ,
vt primas partes, h. e. præcipuas, Ptolemæo Philadelpho,
A 3 fecun-

do Aegyptiorum post Alexandrum regi, concedamus. Ita veteres, recentes scriptores plerique, Iosephus, Epiphanius, Cedrenus, Isidorus & alii, & quia ad hos provocat Iustus Lipsius de Bibliothecis Syntagm. cap. 11.

VI. Flavius Iosephus, cordatissimus scriptor, lib. xii. cap. 11 Antiquit. Iud. Demetrium Phalereum, ex Athenis suis exulem, fuisse ἐπὶ τῶν βιβλιοθηκῶν τῆ βασιλείας, *regis bibliothecis praefectum* tradit, qua fide, varie disputatur ab eruditis. Hunc dicit in mandatis habuisse, πάντα τὰ κατὰ τὴν οἰκισμένην συναγαγεῖν βιβλία, *omnes ex orbe terrarum conquirere codices*, quod ille etiam studiosissime effecerit, ut rex, audito numero librorum quot collegerat & quot breui habiturus esset, lætatus fuerit, & ad pergendum in colligendo exstimulauerit. Hauserit hæc Iosephus ex Aristæi, ut ipse non diffitetur, Histor. Iud. cuius ἀσπύσματα, & inter ea colloquium regis Philadelphi cum hoc Demetrio, huiusque epistolam ad regem de Iudaicis libris, & regis epistolam ad Eleazarum Pontificem, Eusebius de Præpar. Euang. lib. viii. sub initium refert. Vnde communis ex traditione opinio plurimorum de Demetrio Phalereo curatore bibliothecæ in Aegypto regis.

VII. Abunde eruditum & satis idoneum tantæ rei perficiendæ Demetrium fuisse, non est quod dubitemus, quippe ipse librorum amantissimus fuit, & πλήθει βιβλίων ἢ ἀριθμῶ σίχων σχεδὸν ἅπαντας παρελήλακε τὰς κατ' αὐτὸν περιπατητικὰς, εὐπαιδεύτος ὢν ἢ πολὺ πειρῶ παρ' ὄντινῶν, *multitudine librorum & numero ordinum omnes superauerit peripateticos, doctissimus ipse & peritissimus omnium confessione*, ut Diogenes Laertius in vita huius Demetrii præclare iudicauit. An vero Demetrius Philadelpho unquam hanc operam præstiterit, magnalis est & controuersia. Demetrius clarus antea & tantis meritis in remp. fuit, ut plusquam trecentis statuis Athenienses ipsum honestarent, quorum tandem inuidiam, uti fit facile in populari republica, graui-
ter

ter incucurrit, & exul ad Ptolemæum Lagi, Aegyptium regem, se recepit, a quo benigne exceptus, ad varia negotia adhibitus offendit regis filium, postea Philadelphi cognomine insignitum, quod suaferat patri, ut regnum non ad hunc, sed alterius vxoris filium transferret. Sic factum fuit, ut patre defuncto vita, successor Philadelphus huius consilii auctorem Demetrium in custodiam daret, in qua ipse eodem anno vitam aspidis morfu finiuit. Quod si est, uti doctissimi viri ex Hermippo apud Laertium demonstrant, e quibus solum Scaligerum in Eusebium num. M D C C I X allegasse sufficiat; hoc, inquam, si est, quomodo actor & collector Philadelphi bibliothecæ fuit, qui primo eius anno & captus siue custoditus & mortuus fuit?

VIII. Nolumus tantæ auctoritati refragari, neque nobis Iosephus obstat aut quisquam alius veterum, quia, ut ipsi fatentur, non tam propria, quam Aristæi fide nituntur, quam infra in eadem materia dubiam suspectamque habebimus. Nec vero fabulam esse, quicquid huius rei est, facile concesserimus, quia supra dictum, non unius forte Ptolemæi hoc opus fuisse, sed cæptum haud dubie a patre, continuatum a filio & posteris. Sic fieri potuit, ut patri, Ptolemæo id officium præstaret, in primis seminibus bibliothecæ spargendis, quod postea filio præstitisse Aristæus & sequaces crediderunt. Quod ideo curatius examinandum nobis fuit, quia ex Aristæi fide primus auctor fertur regi fuisse, ut Iudæorum Ebraicos libros ad augendam bibliothecam suam curaret Græce transferri. Ut enim Eusebius dicto libro cap. 2 ex Aristæo refert: Demetrius regi dixisse perhibetur *προσήγγελά μοι καὶ τὰ τῶν Ἰουδαίων νόμιμα μεταγραφήσ ἀξία καὶ τῇ παρὰ σοι βιβλιοθήκῃ εἶναι, nuntiatum sibi esse Iudæorum quoque monumenta, quæ describerentur, ac regiam bibliothecam auferent, esse dignissima.* Num vero Atheniensi exuli plus constiterit de re libraria Iudæorum, quam ipsis Ptolemæis, non sine causa dubitatur. Ex Iosephi enim libro

libro XII ineunte constat, Ptolemæum Lagi Hierosolyma sabbato die, quo religio Iudæis erat resistere, occupauisse, quod apud eundem ipsis Agathargides Cnidius irridens exprobrauit, quod dum superstitionem colerent, libertatem amisissent. In illo regis ingressu in urbem, & quidem, uti simulabat, ὡς θύσων, quasi sacrificaturus esset, non dubitamus, illorum sacra perlustrasse, & librærum quoque inspexisse armaria, & de illorum rebus ex colonia Iudæorum, quam secum in Aegyptum deducebat, edoceri potuisse, antequam Demetrius in Aegyptum veniret, Iudaicarum rerum, utcunque peritisimus ceterarum, vel parum vel minime consultus.

IX. Quod ergo id sola Aristæi auctoritate stabat, omnino vacillabit, si, quanta illa sit aut esse debeat, ex eruditorum sententiis colligemus. Vir clarissimus Humfredus Hody, Anglus, contra historiam Aristæ (nam & ita appellatur) de LXX Interpret. dissertiatione ab hinc undecimi annis Oxonii edita, doctis approbavit, Aristæ illam historiam ab Iudæo quodam confictam fuisse, ad conciliandam auctoritatem versioni Græcæ. Iudaicam, ait, vanitatem referre, quod de Iudæis scribitur, tanta Philadelphi magnificentia decoratis impetrandæ Legis causa; & alia multa notauit, quæ scriptorem Iudæum produnt. Qui quod rationes adfert non contemnendas, facile nos argumentis suis perducit, uti in illius sententiam concedamus; quæ tamen singula infra, cum de modo translata scripturæ ex hoc Aristæa disputabimus, pluribus verbis, nec sine pondere argumentorum perspicue demonstrabuntur.

X. De Demetrio satis dictum tam quod contra ipsum obiici poterat ex temporum rationibus, quam quo pacto conciliari controuersia & mitigari dubitatio possit. Ad dimus vnum forsitan non pœnitendum argumentum: quæ Aristæus & Flavius Iosephus Demetrio tribuunt Phalereo
in

in causa bibliothecæ struendæ & augendæ Lege Ebræo-
rum; ab Gorionide iuniore, quem Ebraicum Iosephum
dicunt, cap. xvii tribui Aristæo & Andreæ, regiis confi-
liariis, quia etiam in libro, quem diximus Iudæum quen-
dam sub Aristææ nomine finxisse, vti ex illo Iosephus Græ-
cus libr. xii cap. ii excerpfit, laudantur οἱ τιμιώτατοι Φί-
λων, ἄνδρες ἀγαθοὶ ἢ παιδείᾳ διαφέροντες, *præstantissimi ex re-
giis consiliariis, viri optimi & eruditione excellentes.* Accedit,
quod epistola Demetrii ad regem Philadelphum, quam,
ut diximus, ex Aristææ historia Eusebius libr. viii Præpar.
Euangel. recenset, etiam styli ratione doctis viris suspe-
cta videtur, tanquam indignatam erudito & Attico qui-
dem scriptore. Qua de re vir doctissimus Henricus Vale-
sius Adnotation. ad Eusebii Histor. Ecclesiast. libr. v. cap.
viii sub finem consulatur. Videtur ergo Iudæus ille, qui
Historiam Versionis LXXviralis composuit, ad augen-
dum splendorem suæ gentis & auctoritatem libro concilian-
dam clarissimorum hominum nominibus abusus esse, Deme-
trii & Aristææ, illius, vt consultatoris; huius, tanquam scri-
ptoris historiæ, quamvis tempora non plane conuenirent.

XI. De rege quoque, cuius auspiciis sacrorum libro-
rum conuersio facta sit, disputatur, quam præter supra
allegatos, etiam Eusebius in Ecclesiastica Histor. dicto
libro v. cap. viii Ptolemæo, Lagi filio, attribuit, cum ce-
teri plerique eiusdem filio & successori Philadelpho: quod
laudatus Valesius dicto loco cum Dionys. Petauio ita con-
ciliat, quod Philadelphus fere biennium cum patre regna-
uerit, quo tempore forsan huiusmodi consilia vel agitata
primum, vel perfecta etiam fuerint, licet malimus ad
initia referre, quicquid huius rei est, quam ad operis con-
summationem.

XII. Sunt tamen clarissimi viri, qui Ptolemæo Phila-
delpho plane denegant opus hoc diuinum & auspiciatis-
simum, inducti regis huius impietate, cui parricidium,

B

fra-

fratricidia, incestum, & nescio quæ alia scelera obiiciunt, quasi indignum sit, ab eiusmodi homine sacras scripturas in linguam exire gentium. Sed his satisfecit, quem iterum honoris causa nominamus, Humfredus Hody, contra Aristeam Dissertatione cap. XIX, negando parricidium, quod ex Corn. Nepote de Regibus, adferebant: defendendo supplicia fratrum, tanquam rebellantium & reorum læsæ maiestatis; excusando incestum consuetudine & more gentium; atque ita alia quoque mitius interpretando vitia: qui potius ex Athenæi libr. V. cap. V extremo censet, Philadelphum Ptolemæum τὸν παντ' ἀρίστον fuisse, h. e. *undequaque optimum*, & ex libr. XII, πάντων σεμνότατον γινόμενον τῶν δυναστῶν, *omnium grauissimum principem*: vt sic non dubitemus, Philadelpho deberi & bibliothecæ conluminationem & procurationem Legis Iudaicæ in Græcam linguam conuersæ, quamuis, quam Aristæas & Iosephus tradunt, religionem & pietatem erga cultum Iudaicum, nolimus admittere, summo eius augendæ bibliothecæ studio, & variæ eruditionis cupiditati versationis illius operam imputantes, quippe παιδείας εἴ τις ἄλλος ἢ αὐτὸς ἐπιμεληθεὶς, *literature, si quis alius, studiosissimus erat*, vt dicto libro XII pag. 536 illum Athenæus laudauit.

XII. Quisquis ergo fuit, qui Ptolemæo consilium de vertendis Ebræorum scripturis dedit; ipsos Interpretes, eorumque numerum atque dignitatem considerare nunc nostrum erit. Ex Aristææ libro, quem secutus est Iosephus Græcus, LXXII dicuntur exstitisse, ἐξ ἀπὸ Φυλῆς ἐκάστης, *sex ex qualibet tribu*, & totidem petiisse ab Iudæorum pontifice regem, per tribus suas ita distributos, iidem auctores addiderunt. Fabulosum hoc multis videtur, etiam Scaligero in Euseb. Adnotationibus, quod fieri non potuerit, vt Iudæorum pontifex ex singulis decem tribubus, olim ab Assyrio rege in captiuitatem abductis, vnde nunquam reuertissent, conscripti ad regem Ptolemæum mitterentur.

Nolu-

9

Nolumus controuersiam reuocare, vtrum reuerterint ab exilio Israelitæ, an nunquam reducti fuerint: illud tamen negare non possumus, quod ex decem tribubus aliqui in Babylonia fuerint collocati, qui postmodum in Chaldæorum Persarumque potestatem venerint, atque ita cum Iehudæ tribu Persarum beneficio redierint, vnde in Euangeliiis quoque aliarum tribuum, vt Naphthali, Sabulon, Afer &c. mentio inuenitur. Nec vero propterea tam amplum numerum Interpretibus damus, quia neque necessarius fuit, neque illo tempore conquiri facile a pontifice potuit. Habuit ille rex in Aegypto sua Iudaicam coloniam, habuit & Samaritanam, vti Iosephus tradit libr. xii cap. i, a quibus & legis Ebræorum codicem & interpretes non imperitos potuisset impetrare, vt opus non fuerit excire tam splendida legatione ex Palæstina; sed utique concedatur, maluisse regem a summo Pontifice, quam a suis colonis & Legem & interpretes, maioris fidei & auctoritatis causa, impetrare. Aliter paullo Gorionides Ebræus d. i. missum a Pontifice Eleasarum, postea martyrem, cum LXX viris in Aegyptum rogatu regis, & vertendæ scripturæ præfuisse, nempe **אלעזר הכהן עם הע' זקנים הכהנים המליצים** *Eleasarum sacerdotem cum LXX senioribus sacerdotibus, sapientibus, & interpretandi peritis.* Suspecta multitudo numeri, cum pauciores rem conficere etiam potuerint. Quapropter non contemnendam censemus Talmudicorum sententiam, qui in Massechet Sopherim **חמשה זקנים** *quinque seniores* fuisse tradunt, qui Ptolemæo versionem adornauerint. Quod si est, uti omnino vero similis apparet, etiam LXX illas cellulas occludi putamus, quibus scripturam in Græcum transtulisse olim ferebantur. S. Hieronymus lib. ii. aduersus Rufinum cap. vii *nescio, inquit, quis primus auctor septuaginta cellulas Alexandria mendacio suo exstruxerit, quibus diuisi eadem scriptitarint, cum Aristeas eiusdem Ptolemæi ὑπερασπιστῆς, & multo post*



tempore Iosephus, nihil tale retulerint, sed in vna basilica congregatos contulisse scribant. Vere dixit nec Græcum Iosephum, nec, quem ille secutus est, Aristæum de cellulis habere: Ebræum autem Gorionidem eas tradidisse non ignoramus, quippe d. l. de LXX sacerdotibus eruditis, quos Eleasarum pontificem Alexandriam adduxisse tradiderat, scripsit, ויתן להם תלמי המלך ע' בתים ויבדל איש מרעהו, ויתן לכל א' מהם סופרים יונים יודעים לשון יונית ומכתבה וחכמתה כמשפטה *dedit illis rex Ptolemeus septuaginta ediculas & separavit singulos, & addidit singulis illorum scribas Græcos peritos lingua Græcæ & scriptura eius & sapientiæ secundum indolem illius. Iustinus Martyr Parænesi ad Græcos pag. xiv tradit, se vidisse τὰ ἱχνη τῶν οἰκίστων ἐν τῇ Φάργῳ ἐτι σωζόμενα, vestigia domuncularum istarum ad Pharum, adhuc reliqua: quas pag. xiii dixerat ἱσαρίθμους τῶν ἐρηνηνεύοντων οἰκίστους μικροῦς, paricum interpretibus numero paruas domunculas. Sed valde veremur, credulitate deceptum ab Alexandrinis Iustinum fuisse. De mirabili tot dissidentium consensu res nota est, & esset utique miranda, si firmiore argumento & numerus interpretum & separatio scribentium probari possit. Quapropter videtur Aristæas, aut qui sub huius nomine historiam illam Iudæus Alexandrinus composuit, & numerum & conpirationem interpretantium in gloriam suæ gentis auxisse, quem Iosephus quoque eiusdem gentilis, imitatus est: de cellulis autem alii posteriori ætate ad augendum miraculum adiecerunt. Vnde traditio manavit, quæ etiam apud plurimos Ecclesiæ Patres, qui magni fecerunt illam versionem, locum inuenit. Sed incertior ratio, quia Epiphanius de Mens. & Pond. cap. iii tantum xxxvi cellulas, & binos singulis inclusos interpretes, memoravit. Appelletur autem LXX Interpretum translatio, quamuis in numerum interpretantium iurare nolumus, nec possimus etiam certioribus documentis comprobare.*



XIV. De Codice in Græcam linguam translato nunc disquirendum est. Aristæus, vel Iudæus sub huius nomine, ad augendum suæ Legis splendorem, & ex eo Iosephus d. l. codicem legis literis aureis scriptum a pontifice missum esse tradiderunt. Legatos, aiunt, a pontifice ad regem venisse *μετὰ τῶν διφθερῶν, αἷς ἐγγεγραμμένους εἶχον τὰς νόμους χρυσοῖς γραμμασίω*, cum membranis, quibus Leges inscriptas literis aureis habebant: quod multi ad νοθείαν auctoris euincendam adhibent, quasi Iudæis non alio colore, quam atramento, Talmude teste, legem licuisset transcribere. Quibus vir magno ingenio Isaacus Vossius de LXX Interpret. cap. iv. respondet, Rabbinicum id commentum esse, & longe recentius quam vel ipsos Interpretes LXX, vel auctorem Aristæi nomen præferentem, vel etiam Flauium Iosephum, quos, tanquam Iudæos, non decuerit illud referre, quo abstinuissent utique si contra morem patriæ fuisse intellexissent. Finge vero licitum fuisse, aureis literis legem exarare; nec vero exinde probaueris, certum omnino esse, quod de colore literarum Aristæus & Iosephus prodiderunt, cum ab isto etiam in gratiam gentis & honorem confingi ita potuerit.

XV. Gravior controuersia est de ipso codice, quantum ille fuerit, & quantum scripturæ complexus sit, solumne Pentateuchum, seu legem continuerit, an etiam Propheticos libros & Hagiographos. Iosephus Proæmio Antiq. Iudaic. *ἔδὲ πᾶσαν τὴν ἀναγραφήν, ἀλλ' αὐτὰ μόνα τὰ τῶ νόμου*, non totam scripturam, sed ea tantum, quæ legis sunt, conuersa regi Ptolemæo tradit. Vnde etiam lib. xii cap. ii *νόμον*, legem tantummodo appellat, cui sententiæ multi adhærent viri clarissimi. Contra Gorionides Ebræus d. l. *ויבארו הכהנים את ספר התורה ואת שאר ספרי המקרא כר ספרים וימליצום מלשון הקדש ללשון יונורת* exposuerunt sacerdotes librum legis & reliquos libros scripturæ, viginti quatuor libros, & conuerterunt ex lingua sancta in Græcam.

Hoc numero & consueta formula עשרים וארבע *viginti*
& *quatuor* totam suam scripturam Canonicam Rabbinum ap-
pellant. Sed plurimi Iudæorum cum Iosepho faciunt.
Solut forsan Abarbenel singulari via incedit commentar.
in Daniel. pag. XXI, qui existimat interpretes illos trans-
tulisse omnes libros, qui ante captiuitatem conscripti fue-
rant; non autem posteriores. Sane stylus Pentateuchi
Græci ab Hagiographis multum differre non incertum
est, vt adeo doctissimi viri Io. Buxtorfi conciliatio nobis
tutissima videatur in Anticrit. Parte II cap. VIII. *Dubitant,*
inquit, præstantissimi auctores, tam veteres quam recentes, immo,
quid dico, dubitant? indubitanter pronunciant, LXX Seniores
Ptolemæo non uniuersam scripturam, sed solam Legem Mosis trans-
tulisse: reliquos a variis, & variis temporibus translatos esse, ac
fortassis non ita peritis, vt LXX illifuerunt.

XVI. Quamuis ergo Hieronymus in Ezech. v. scri-
bat, & *Aristæum, & Iosephum, & omnem scholam Iudæorum,*
quinque tantum libros Mosis a LXX translatos adserere, quibus
ipse reclamare non audet: tamen id non eo trahendum
est, quasi ante Christum natum Prophetæ Græce non ex-
stiterint, qui ab aliis ad Pentateuchi exemplum postea
haud dubie conuersi sunt. Siracides enim in Prologo di-
cit, non solum νόμον, sed etiam τὰς προφήτας ἢ τὰ λοιπὰ
τῶν βιβλίων in versione aliquid differentia habere ab E-
braico contextu. Ergo illius ætate Græce translatos Pro-
phetas fuisse oportet. Immo plures vna versiones existisse
probabile est, quod Patres vetustissimi non vno modo alle-
gant, & Hieronymus Ep. cxxxv ad Suniam & Fretelam
dicit, *alia est editio, quam Origenes & Casariensis Euse-*
bius, omnesque Græciæ tractatores κοινήν, id est, communem ap-
pellant, atque vulgatam, & a plerisque nunc δεκιανὸς dicitur;
alia LXX Interpretum, quæ & in ἑξαπλοῖς codicibus inueni-
tur, & a nobis in Latinam linguam fideliter versa est. Hanc vul-
gatam, seu communem versionem itidem Græcam in lo-
cum

cum & nomen genuinæ LXX-viralis, postquam authenticum eius exemplar, quod in regia bibliotheca erat, Alexandrino bello combustum fuit, successisse contendit vir illustris Iacobus Vfferius Syntagm. de LXX interpretibus.

XVII. Sic non dubitandum est, bonam versionem, & accuratam, ab interpretibus Ptolemæo adornatam fuisse, & in regia bibliotheca repositam. An autem illa prima omnium versionum fuerit, in quæstionem nunc adducimus, inducti Aristobuli Peripatetici, vetusti scriptoris, auctoritate, qui apud Eusebium de Præpar. Euangel. Ibr. XIII cap. XII, ait, Ebræorum historiam *ἡ ὅλης νομοθεσίας ἐπεξήγησιν* conuersam fuisse ante Demetrium Phalereum & Persarum imperium. Verum hisce non mouemur, quo minus primas partes LXX-virali tribuamus, quam ipse Aristobulus ibidem singularibus laudibus ornat, cuius priora verba de historia rerum Iudaicarum, quæ a Græcis etiam notata fuerat; non de Bibliorum conuersione interpretamur.

XVIII. Difficilior quæstio est, an supersit LXX Interpretum Græca versio. Negat Vfferius d. I. & quicquid supersit, esse ex communi illa & vulgata credit, idque misere a librariis subtractione, additione, aliisque modis deprauatum. Contra Isaacus Vossius huic versioni plurimum tribuit, tanquam genuino LXX. virorum operi, eamque solam verioris sensus participem esse, adeo, vt Ebræum quoque codicem, tanquam ab Rabbinis interpolatum, præ illis deprimat, in quo etiam Ludouicum Cappellum consentientem habuit, cuius summum in eo studium fuit, vt ex Græca versione Ebræum textum, vt putabat, emendaret. Sed ausis hisce haudquaquam tolerandis tum alii restiterunt clarissimi viri, tum maxime Ioannes Buxtorfius in Anticrit. Sacra. Audaciores hos fecit discrepantia, quæ inter Ebræum textum est, & inter Græcam, quæ superest, versionem, quæ vnde orta sit, postmodum dis-

quire-

vid. Add.
tu. II.

II



quiremus. Nunc ad quæstionem nostram, eademne sit an diuersa, quæ exstat versio; respondemus, mediam viam & hic tutissimam esse, vt dicamus, non plane quidem diuersam esse, tamen innumeris locis ita variatam, immutatam, turbatam, corruptam, vt plane alia videatur esse. Nec vero omnem illum dissensum, quod Hieronymus in Epist. CVIII putat, *scriptorum culpæ adscribendum esse* censemus, *dum de emendatis in emendata scriptitant*: sed plures alia inuestigari causæ possunt tam memorabilis inter utrumque codicem differentia.

XIX. Variæ sunt causæ ab eruditis inuentæ, cur dissideant Græci sæpenumero a lectione codicis Ebræi. Reprobamus quicquid exinde infertur contra Ebræam veritatem, quasi corruptus ab Iudæis fuerit codex sacer siue Ebræus, quem contra quascunque accusationes tueri parati sumus. Propiores firmioresque rationes nobis historia illorum temporum, & status Iudæorum eorumque religionis, suppeditat. Primum dubitant nonnulli, an Græci illi interpretes conuerterint scripturam ex Ebræo textu, nec potius ex Chaldaica quadam paraphrasi; qua de re consuli possunt, quæ Buxtorfius in tractatu de Punctis pag. CXXVI adfert. Quibus non absimiles sunt, qui ad Pentateuchum Samaritarum, quam Iudæorum, versionem magis accedere persuasi sunt, quemadmodum Hottingerus longa serie in Thesauro Philolog. a pag. CCXCIII. harmoniam Samaritani & Græcorum demonstrat. Non autem hæc nostra facimus, sed auctoribus suis relinquentes, dicimus deinde, illud quoque incertum esse, fueritne purum correctumque exemplar, quo vsi sunt illi interpretes. Punctis vocalibus caruisse fere omnes concedunt, nec vero inde punctorum nouitatem stabiliri censemus, quia neque circa consonantes satis sanus illorum codex fuisse videtur, nisi nimis supinam oscitationem eorum statuamus: quod Alphabeti ordine Hottingerus d. I. a pag.

pag. cccLvi persecutus est. Neque vero ab omni negligentia & oscitatione eosdem absoluimus. Aliæ rationes, quæ supersunt, satisfacere magis nostræ dubitationi videntur.

XX. Erat illo tempore non optimus status Ecclesiæ Iudæorum, sed a literali sensu ut plurimum ad allegoricum desiliebatur, quæ causa fuit, ut mallent sensum aliquem interpretes sequi, qui tum receptus erat inter Iudæos, quam qui literis & verborum ordine ex contextu se proferebat, quæ Iudaica consuetudo etiam in Targumistis obseruatur. Adhæc post Babyloniam captiuitatem non satis gnari iudæi erant purioris Ebraismi, sed lingua utebantur impura, quæ Syrisimos, Arabismos & Chaldaismos inspersos habebat. Inde eruditi obseruant, Ebræas voces illos sæpe non ad indolem Ebraismi veteris, sed ad Syrorum, Chaldæorum, Arabum consuetudinem explicare, v. g. καθαρίσαι Es. LIII. 10; νικήσης Ps. LI. 6; καταφρονηταί, Hab. I. 5; φθόγγος Ps. XIX. 5.

XXI. Maxima autem turbatio & permutatio videtur orta ex Origenis præclaro instituto, quo varias editiones, vno volumine comprehensas, columellis ita distinxit, ut discrepantia illarum vno intuitu perlustrari posset.

Quæ laudatissima illa Tetrapla, Hexapla, Octapla Origenis sunt, descripta omnium accuratissime ab Epiphonio de Mens. & Pond. cap. XIX. Vossius quidem negat Octapla, & ex iis Hexapla facit, aliumque in Hexaplis ordinem constituit, sprete auctoritate Epiphonii: sed refutatus fuit a Rich. Simone, Excerpto III adv. Isaacum Vossium. Sic coniunctis editionibus factum est, præsertim postquam ipse Origines LXX interpretum oram obseruationibus circumscripserat, ac postmodum LXX seorsum, ut summi parceretur, edebat cum asteriscis, obelis, lemniscis, episemis, quibus aliorum interpretum dissensionem, vel additiones, aut detractiones notabat, ut idem tradit Epiphonia-

C

pha-

phanius; tum, inquam, factum est, ut a describentibus confunderentur, quæ distincte ab illo posita erant; aut ex ora in textum reciperentur, cuius rei clarissimum exemplum est Psalm. xxix, 1. ubi בני אלים in Græca nostra editione bis conuersum legitur, semel *υιοι Θεῶν*, iterum *υιῶς κριῶν*, quod eius generis manifestam confusionem arguit ex duabus diuersis editionibus ortam, cum absolum sit statuere, LXX Interpretes vnâ vocem gemina atque diuersæ notionis interpretatione voluisse explicare. Nullum itaque dubium est, quin in hodierna Græca editione multa compareant, quæ vel Symmachi, vel Aquilæ, vel Theodotionis fuerunt, vel e quinta aut sexta editione transfumta, quod difficilius obseruamus, quia ceteræ editiones omnes perierunt, & vix pauca fragmina apud Patres reperiuntur reliqua. Illud quoque non improbabile est, præter laudatas illas versiones, quæ confusæ fuerunt a describentibus, etiam aliorum additamenta, aut mutationes accessisse, cum pia industria Christiani antiqui in ora adleuissent, quæ explicationis causa in suum usum adseruarent: aut imitatione pericopen similem expressissent, quæ postea a describentibus cum veteri textu fuerunt commixta, aut loco alieniore adiecta & interposita.

XXII. Exemplum proferamus. sic addita sunt Esa. xxix. 3 ὡς Δαβὶδ, & Psalm. xxxiv. 17 δίκαιοι, &c. Detractionis, quæ facilius obrepere inter describendum poterat, exempla sunt Ier. xxxi. 8, & xxxiii. in tota parte posteriore, item cap. xxxix, a v. 4-14.

XXIII. Quod supra diximus, LXX interpretes, saltem alios cum iis confusos & permixtos, non fuisse immunes ab oscitatione aut παρατάμασι; id paucis exemplis nunc ostendendum est. S. Hieronymus in Hof. II. 14 *pro SALTIV*, inquit, quod Ebraice dicitur יע, LXX transtulerunt, *TESTIMONIVM*, י & י literarum falsi similitudine. Sic Zachar. xii. 10. iisdem literis permixtis aut traiectis

iectis קרר, quasi קרר, verterunt ἀνθ' ὧν κατωρχήσαντο. Quidam libri præmittunt etiam veram interpretationem, εἰς ὃν ἐξέκέντησαν, quæ verba resecta sunt ab Anglicana in Polyglottis: olim autem coniuncta fuisse, ex Hieronymi Commentario apparet, qui ita adnotavit: *Ebraicæ literæ ק & ק similes sunt, & paruo tantum apice distinguuntur. Ex quo euenit, vt idem verbum diuerse legentes (LXX) aliter transferant.* Sed rectius censueris, eiusmodi genuinam interpretationem ante Hieronymi tempora ex diuersis editionibus coaluisse, ad eum modum, quem paullo ante ad Psalm. xxix. i. indicauimus.

XXIV. Hæc & similia non obstabant, quin' magna apud priscos Græcos Christiana professione huius versionis auctoritas esset, præsertim, quod plerique rudes essent Ebraismi, qui vix tribus ex patribus, Origeni, Epiphano [nec huic plenissime] & Hieronymo cognitus ac perspectus fuit. Accedit graue pondus ad auctoritatem, quod ipsi Apostoli θεόπνευστοί sæpenumero hac versione vsi sunt, etiam vbi ab Ebræo textu illa discrepat. Insigne exemplum est Act. xv. 17, ex Amos ix, 11, 12 quo referri etiam potest Apostoli allegatio I. Cor. xv. 15, ex Hoseæ xiii, v. 14. Scilicet quamuis Apostoli dissensum illum non ignorarent, tamen omnibus omnia facti (I. Cor. ix. v. 22) sequi LXX maluerunt, ne animos Neophytorum, qui Græcæ versionis adsueti erant, diuersitate non necessaria turbarent, atque fidem illius redderent suspectam, quæ verba sunt accuratissimi viri Io. Frischmuthi Disfertat. de LXX Interpret. § 29. Sic etiam magni nominis Theologus Io. Gerhardus Harmon. Euangel. cap. cxliiii, de voce πρᾶξις Math. xxi, v. 5, dicit, Euangelistam secutum LXX interpretes. At vero Zach. ix. 9. non est קנע quod mansuetum significet; sed קנע, quod semper paupertatis notionem habet, quæ Iudaicum τῶν LXX ingenium offendit, tanquam indigna esset suo, quem sperabant, Messia. Post quos & alii

alii interpretes Iudæi omnes ita censuerunt, Kimchi & Abenmelech ענו כמו עני, h. e. עני *valere idem quod ענו*; & Raschi cum Ionathane Chaldæo ענותן, i. e. *mitis & mansuetus* interpretantur. Addit Kimchi rationem in Perusch ad Psalm. ix. v. 19, כי עניים ברוב עניים, *quia pauperes plerumque mansueti sunt*: nihil tamen obtinet, quo paupertatis notionem ex Zachariæ loco expungat, quæ vsu loquendi, ex synonymis רל & אביון h. e. *attenuatus & mendicus*, quibuscum non semel coniungitur, firma stat & inconcussa.

XXV. Eodem loco Zach. ix. 9 passuum נושע ne indignius de Messia loquerentur, actiue σωζων, verterunt, quos alii interpretes secuti sunt, Chaldæus פרוק, *liberans*, Syrus ܠܘܕܝܢ redemptor, *seruator*, vt de recentioribus taceamus. Ebræum autem verbum siue cum Kamez legas, vt vult Masora Parua: siue cum Patach, vt David Kimchi tradit, & expressit Ioseph Athias; vtroque modo passuum est, illo, participium *saluatus*; hoc, & *saluabitur*, præterito, vt etiam Kimchi adnotauit, mutato propter præfixi rationem in futurum. Vox enim, vt Theologi interpretantur, consolationem habet, ne filia Sionis offendatur miseria Mesfiæ, ex qua liberatum iri propheta promittit, vel, ad certiores rei rationes, liberatum esse ostendit, vt alios quoque, immo vniuersos possit liberare.

XXVI. Sic in pretio fuit & magnæ auctoritatis hæc versio, propterea, quod illa quoque diuini viri vsi sint. Nec vero existimandum est, vbique aut semper Apostolos ea vsos esse, sed sæpe etiam ex Ebræo citauerunt, posthabita versione Græcorum, v. g. Matthæi II, 15, quæ verba aliter habent apud LXX Hoseæ XI. 1. Eadem ratio est Matth. VIII. 17, si conferatur cum Es. LIII. 4.

XXVII. Sed ad auctoritatem versionis explicandam reuertamur, quam prisci Patres, qui ante Hieronymum

mum fuerunt, in modum nimium extulerunt, diuino spi-
 ritu adflatos interpretes fuisse credentes, quod haud du-
 bie ex mirando illo consensu per cellulas distributorum
 acceperunt, de quo quid censendum sit, supra indicauimus.
 Ipse Hieronymus, qui toties hos interpretes hallucina-
 tos fuisse ostendit, aliquando cum vulgo locutus, idem,
 quod ceteri, interpretibus adiudicauit. Supra citata E-
 pist. CVIII, quæ præfatio est in librum Paralipomenon,
 LXX, inquit, *interpretes Spiritu S. pleni, ea, quæ vera fuerunt,*
transulerunt. Sint autem venerabiles hi interpretes tam
 antiquitate, quam vsu & opinione venerabilium Patrum;
 interpretes tamen fuisse, qui errare potuerunt; nec diui-
 no spiritu adflatos nec infallibiles, utique est censen-
 dum.

XXVIII. Tempus, in quo versamur, nos aduentus
 dominici ex Iacobi vaticinio Gen. XLIX, 10. admonet,
 fore, vt *Schilo* adueniat, cum sceptrum ab Iehuda ab-
 latum fuerit. Mirari subit, cur LXX id diuinum nomen in-
 terpretati sint τὰ ἀποκειμενα αὐτῶν, *quæ reposita ipsi sunt.* Ple-
 rique conspirant in eo, illos sine Iod legisse יהו pro יהוה,
 h. e. *quod ei vel eius* scil. est, quemadmodum & Syrus vertit
 ܘܫܘܢ ܘܫܘܢܝܘܢ ܘܫܘܢܝܘܢ is, *cuius est illud.* An Onkelos
 etiam eodem respexerit, disquirat Buxtorfius, Anticrit.
 pag. MCCXV. Ebræo-Samaritanus etiam sine Iod scripsit,
 quod contra nostram interpretationem obiicit Isaacus Vos-
 sius; verum Samaritanis, non particulam seu præfixum
 cum suffixo videri, ex illorum versione clarum est, quæ
 eandem vocem, vt singularem & memorabilem iisdem li-
 teris reposuerunt. Quam aptior inrerpretatio Rabbi Da-
 uidis Kimchi in Lexico ad radicem יהו, quando hanc
 ipsam vocem, de qua disputamus, exempli loco ponit, ad-
 ditque פירושו בנו *significat, FILIVS EIUS,* scilicet Iehu-
 da. Quod Iudæus quidem pro more a Messia ad Da-
 uidem

videm vult detorquere, qui ex tribu Iehuda foret
והנבואה על דוד שהוא משבט יהודה *vaticinium* inquit
de Davide est, quia is ex tribu Iehuda fuit: at veritate convi-
ctus, & consensu Targumistarum, statim addit על משיח
המשיח *aut de Messia* explicandum esse. Quam prope hæc
interpretatio cum lingua Arabica consentiat, vir doctis-
simus Ludouicus de Dieu Animaduers. in V. T. pag. 53.
demonstravit. Addi potest CL. Præsidis Etymologicum
Philologiæ Sacræ eius subiunctum pag. 59.

XXIX. Tandem etiam, quod spatium permittit, ad-
dimus aliquid de XIII locis, quæ immutasse LXX, in Tal-
mud dicuntur, vel in gratiam regis Ptolemæi, vel in glo-
riam suæ gentis. Ex illis vero plurima hodie nihil discrimi-
nis ab Ebræo habent. Exempla in Ialkut in Gen. 1. &
ab antiquis interpretibus adferuntur, ex quibus quædam
indicasse sufficiat. Primus locus est principio Genesios,
vbi vocem Θεός præposuisse dicuntur ita: *Deus creavit in*
principio, ne quid anteuenteret nomen diuinum. Alius est
Exod. IV 20, vbi חמור non conuerterint ὄνον, sed ὑποζύ-
γιον, ne turpe Iudæis esset, ducis sui conjugem a sino ve-
ctam fuisse. Ultimus locus aliquoties repetitur Deuter.
XIV, 7 & Leuit. XI, 6, vbi verbum, quod leporem signi-
ficat, non per λαγῶν transulerint, ne Lagi nepotem regem
offenderent, sed noua tum voce δασύποδα. Verum omnia,
quæ huius generis sunt, minime censemus eiusmodi esse,
vt propterea mutandum aliquid in scriptura sit. Quæ cau-
sa est, vt eruditi viri has XIII mutationes in fabulis Tal-
mudicis ponant, & perinde explodant ac fabulam de LXX
aut XXXVI cellis interpretantium.

XXX. Nec illud prætereundum est, quod vir doctis-
simus Io. Lightfoot Hor. Ebr. in Lucæ III, 36, non dubitat
scribere de LXX, *animo non sincero ad istud se opus accinxisse, atque*
imponere Gentilibus nullam illis fuisse religionem, at religionem
non favere suis. Secundum malum hoc ergo animi temperamen-
tum

sum, quo se ad opus istud addixerunt, gesserunt se in ipso opere. Hinc addunt & decurtant pro libitu, oscitanter, cæcutienter, audacter: vertunt in sensum sæpissime alienum, non raro contrarium, aliquando nullum: & multoties vel in patrocinium suarum, vel in fugam scandali textus sacri, vel pro fama aut incolumitate gentis sue. Quorum omnium iudicia turmatim proferre, non esset arduum, si isti operi incumberemus. Quod si est, vti non alienum videtur ab ingenio Iudæorum; nouam & validam rationem habemus discrepantiæ inter vtrumque codicem Ebræum atque Græcum.

ADDITAMENTA.

DE Aristæo quæ supra diximus, hausta sunt ex excerptis eius apud Iosephum & Eusebium. Alio Aristæi codice vsus fuit Epiphanius de Mens. & Pond. libro, quæ diuersitas argumento est, librum illum non genuinum fuisse, sed fabulose confictum, cum, quæ vera sunt, sibi magis constare soleant. Vide modo epistolam regis ad pontificem cap. X.

II. Quod supra numer. xvii diximus, lxx-viralem versionem credi omnium antiquissimam esse, inter Græcas saltem, id confirmat etiam Epiphanius d. lib. de Mens. & Pond. cap. ix, *πρῶτοι μὲν ἑρμηνευταὶ γεγονάσι τῆς αὐτῆς θείας γραφῆς ἀπὸ ἑβραϊκῆς διαλέκτου εἰς ἑλληνίδα, ἑβδομήκοντα δύο ἄνδρες τὸν ἀριθμὸν, τὴν αὐτὴν πρώτην ἑρμηνείαν ἐπὶ τῶν πτολεμαίων Φιλαδέλφου ἑρμηνεύσαντες, primi interpretes scripturæ sacre, ex Ebraea dialecto in Græcam convertenda, LXXII viri fuerunt, qui illam primam versionem sub Ptolemaeo Philadelpho fecerunt.* An priores exstiterint paraphrasæ Chaldaicæ, non apertum est. Buxtorfio de Punctis p. 120, 134, non videtur improbabile, statim post Esræ tempora eiusmodi translationes in vsu fuisse. Alii vero negant, quia Nehemias, Haggai, Zacharias, Malachias, Ebraice post captiuitatem scripserint, ex quo constare putant, Ebræam linguam non penitus exspirasse apud reduces captiuitatis, Cum vero longum
tempus

tempus intercesserit inter reditum Iudæorum & Ptolemæum Philadelphum, non absimile vero videtur, fuisset saltem medio tempore, paraphrases, quæ explicationem legis & prophetarum populo conferrent, qui Ebraice non satis peritus illis temporibus erat.

III. Adventus Domini tempus illud Psalm. XL, 8, in memoriam vocat: *Ece venio: in volumine libri scriptum de me.* Verbum *voluminis*, uti ex Ebræo sonat, varie redditum Græcis interpretibus, Aquilæ ἐν τῷ εἰλήματι: Symmacho, ἐν τῷ τεύχει, aliis, ἐν τόμῳ. Antiquissima haud dubie versio est, quæ in nostris Bibliis retinetur, & ab Apostolo Ebr. X, 7, probata est, ἐν κεφαλίδι βιβλίου, quod vulgatus Latinus exposuit, *in capite libri*; etiam Syrus interpres

כִּנְסֵי בְּרֵאשִׁית in capite seu principio scripturarum. Unde pie nonnulli coniiciunt, ad Proteuangelium interpretes respexisse. Nicolaus autem Fullerus, vir doctissimus, erudite suspicatur Miscell. lib. II. cap. VIII, Syro-Chaldaicum כִּפְּרָה, quod *convolvere & complicare* significat, in animo habuisse. Non improbabile videtur, quia & alibi Ebræas & Chaldæas voces in versione sua retinuerunt Græci, uti θίβις vel θήβη Exod. II, 3; & γειώρας Exod. XII, 17, probant, quorum illud *arcam* significat, ut תִּיבָה Ebraicum: hoc *peregrinum*, ut גִּיּוּרָא Chaldæorum.

IV. Verbum קִיּוּעַ dum LXX σερέωμα, *firmamentum* vertunt, veterem philosophiam secuti sunt, quæ cælum durum & solidum, instar æris aut crysalli esse docuit. Sed neque vim vocis Ebrææ expresserunt, neque cum nova convenerunt philosophia, cuius observationibus constat, esse cælum corpus tenuissimum, subtilissimum, & maxime fluidum.



02 H 1241

ULB Halle 3
003 104 664



LD 17

Bd.







DISPUTATIO
RORICA ET PHILOLOGICA
De
INTERPRETIBVS

Quam
ORE MAGNIFICENTISSIMO,
NISSIMO IUVENTVTIS PRINCIPE
ERICO WILHELMO,
NE BRANDENBURGICO ET ELECTO-
TVS HEREDE, AC RELIQA,

CADEMIA FRIDERICIANA
PRAESIDE V. C.
TOPHORO CELLARIO,
Eloq. & Histor. Prof. Publ.

STRI Artium & Philosophiæ pri-
vilegiis & honoribus consequendis
publico examini II Decemb. exponit

VINES HENRICVS SÜLZNERVS,
Isennacensis.
A. R.

HALAE MAGDEBURGICAE,
ris Christiani Henckelii, Acad. Typogr.